Jahresberi[illegible]

über das

Königliche La[illegible]entian[illegible]

zu Arnsberg

[illegible] in dem Schuljahre 1870—1871,

mit welchem

[illegible]er öffentlichen Prüfung am Montag den 28. August

und

[illegible] Abiturienten am Dinstag den 29. August

[illegible]enst [illegible]

[illegible]

[illegible]irector des [illegible]

Inhalt:

1. [illegible]ndlung des Oberlehrers Dr. Tücking: De maioribus Germ[illegible]
2. [illegible]nachrichten von dem Director.

Arnsberg, 1871.

Druck und Papier von H. F. Grote.

Jahresbericht

über das

Königliche Laurentianum

zu Arnsberg

in dem Schuljahre 1870—1871,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am Montag den 28. August

und

zu der feierlichen Entlassung der Abiturienten am Dinstag den 29. August

ergebenst einladet

Dr. F. Xav. Hoegg,

Direktor des Gymnasiums.

Inhalt:

Arnsberg, 1871.

Druck und Papier von H. F. Grote.

De maioribus Germanorum diis.

1. Caesar quum Germanis, quos facile impelli videret, ut aut novas sedes occupaturi aut finitimis gentibus Romanorum imperio subactis auxilium laturi in Galliam venirent, Rheno iterum traiecto arma inferret, operae pretium esse putavit, in sexto libro commentariorum, quos de bello Gallico conscripsit, de Galliae Germaniaeque moribus et quo differant eae nationes inter sese proponere. Atque in diis colendis Germanos dicit multum a Gallorum consuetudine differre, quum neque druides habeant, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis studeant ac deorum numero eos solos ducant, quos cernant et quorum aperte opibus iuventur, Solem et Vulcanum et Lunam, reliquos ne fama quidem acceperint.[1]) Tacitus autem, qui centum quinquaginta fere annis post de Germanorum origine moribus atque institutis libellum composuit, deorum maxime coluisse eos putat Mercurium, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habuerint, Herculem et Martem concessis animalibus placavisse.[2])

Quas tam varias tamque discrepantes sententias summos rerum scriptores protulisse mirum esse videatur, quum Tacitum constet in describendis Germanorum moribus praeter alios scriptores secutum esse divum Julium.[3]) Ac doctissimi viri, qui, quum varia sint deorum nomina, notiones putant varias, alii Caesaris alii Taciti opiniones de vi ac natura deorum magis laudant et probant. Qui Caesaris maiorem esse dicunt auctoritatem, duas potissimum causas proferre solent, quarum altera est, quod peracutus ille rerum scriptor nullam rem nisi indagatam et pervestigatam descripserit, altera, quod Tacitus subtilius exquisiverit, quibus moribus atque institutis usi sint Germani, quam quos deos coluerint.[4]) Opinionibus ducuntur fictis ac vanis et quasi manus adferunt Tacito, quum in detrectanda infringendaque eius fide occupatissimi sint iniustissimis de causis. Quis est enim, qui certis argumentis possit confirmare, Caesarem acutius perspexisse res, descripsisse verius? — Omnis autem de auctoris cuiusdam fide quaestio duabus versatur in rebus, quarum una est, potueritne ad veram iustamque rerum cognitionem ac scientiam pervenire, altera, volueritne res cognitas vere atque integre referre.

Caesar quidem primus aperuit fontes uberes ac perennes, ex quibus incredibilis rerum Germanicarum copia profluxit ac latius emanavit. Nec parvum id auctoritatis ac fidei momentum est, quod, quas res descripsit, non solum audivit, sed etiam vidit, non iis solum interfuit, sed ipse eas gessit. Tacitus num in Germania fuerit, ita ut incolarum mores institutaque penitus cognoverit,

---

[1]) Caesar b. G. VI., 21.

[2]) Taciti Germ. 9.

[3]) Tac. Germ. 28.

[4]) Herzog ad Caes. b. G. VI., 21.

quaestio est perobscura, de qua multum in utramque partem disputatum est. Kritzius quidem omnibus rebus accurate reputatis facile eo adducitur, ut non dubitet, quin Tacitus Germaniam adierit et aliquam certe partem eius terrae viderit. Ac non leve argumentum peti posse dicit ex narrationibus de diis Germanorum. »Quibus quamquam Romana tribuit nomina, quos Germani suis appellabant, hoc tamen patet non aliter fieri potuisse, quam quod horum deorum cultum quibusdam Romanis numinibus assimularet. Necesse igitur fuit, illum cultum accuratius eum cognovisse, quod nonnisi in Germania fieri potuit. Haec omnia igitur accurate inter se composita eam vim habent, ut vix ulla dubitatio relinquatur in Germania fuisse Tacitum.«[5]) Welterus autem argumenta satis certa firma stabilia aut omnino nulla esse putat aut ita comparata, ut omnes inde dubitationes non penitus tollantur, sed modo infringantur, quantum per coniecturas liceat. Ac satis multas res in promptu esse dicit et perspicuas et idoneas, quibus fides Taciti, etiam si ipse in Germania non fuerit, probari ac confirmari possit.[6]) Quam sententiam laudare videmus Haasium, qui quidem praeter alias res hoc quoque Tacitum ad scribendum impulisse crediderit, quod videretur sibi aliquanto accuratius de Germania dicere posse quam alii; neque enim putat iis tantum illum adiumentis usum esse, quae omnibus in promptu erant, sed habuisse praeterea alia non vulgaria, sive quod ipse aliquando in Germania fuit sive quod a Cornelio Tacito vel patre suo vel avunculo, certe propinquo, qui Belgicae Galliae procurator fuerat, plura cognovit ac certiora quam in vulgus nota erant.[7])

Quodsi comparationem quandam earum rerum, quae et a Caesare et a Tacito de Germanis relatae sunt, institueris, sane plurimas satis inter se convenire facile tibi persuadebis; sed aliae exstant, in quibus scriptores inter se dissentire reperias, ita ut dubius haesites, utri maior fides tribuenda videatur. Ad quam quaestionem diiudicandam primum quidem respiciendum est, quantum et temporum et rerum intervallum sit interiectum inter hos scriptores. Caesar enim, quum omnium primus Germaniam ipsam intraret, non nisi proximas regiones adiit nec satis diu in iisdem commoratus est, ut omnia accuratius potuerit explorare. At crebri ad eum nuntii delati sunt per legatos ultro citroque missos, multas res per obsides comperit in fidem acceptos, multas per exploratores quoquoversus dispositos, multas denique easdemque gravissimas per transfugas et captivos, quorum multa milia ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Quid, ut concedamus, ex maxime incultorum illornm hominum, vel servorum vel militum, narrationibus notitiam quandam rerum Germanicarum sibi paravisse, quis neget, Caesarem, quae de indole et moribus Germanorum commentariis suis addidit, eo tempore composuisse, quo parum tantum de Germania constaret. Tacitus vero non solum materiam a Caesare paratam in suum finem consulere examinare digerere indeque, quantum visum est, depromere potuit, sed rem sibi non prius pertractandam sumpsit, quam per unum et dimidium fere saeculum et ambitu et perspicuitate immensum quantum accrevit. Scripsit enim libellum suum ea aetate, qua Germania iam saepissime erat quoquoversus a Romanis imperatoribus perlustrata, qua eximiae illius gentis res in omnium civium erant ore novamque in dies et paene insatiabilem excitabant cognoscendi aviditatem. Multa igitur ex ducibus, quibus cura Germaniae subigendae erat commissa, multa ex militibus, qui rebus in Germania gestis interfuerant, potuit comperire. Ac quo eum studio censemus in ipsos Germanos inquisivisse, qui ea aetate Romae erant frequentissimi et in novis quoque sedibus patrios mores et instituta sequebantur, ut quae peregre erant nuntiata coram aspici possent! Quid multa? Fontes rerum Germanicarum Caesar aperuit primos, uberiores adiit Tacitus. — Jam vero animadvertendum est, quo uterque animo, quo consilio ad res scribendas accesserit. Quam quidem quaestionem Welterus ita explicat, ut omnino

[5]) Kritz proleg. Tac. Germ. p. 5.
[6]) Welter de fide Taciti in rebus Germ. Progr. Gymn. Monast. 1846. P. 7.
[7]) Frid. Haasii de C. Taciti vita ingenio scriptis commentatio p. XXI.

probabilius esse dicat,[8]) Tacitum, quoniam librum de una terra Germania separatim edere instituisset, diligentius curiosiusque in hanc terram gentemque inquisivisse, quam Caesarem, quippe qui separatim de bello Gallico scripserit librum suisque de eo commentariis hanc alienam et fortuitam materiam raptim et inter armorum strepitum intexuerit. Stulte igitur illi mihi agere videntur, qui Tacito praestantiam concedere dubitent. Atque haud scio, an multa, immo plurima eorum, in quibus Tacitus a Caesare dissentire videatur, verius iustiusque nova rerum additamenta atque incrementa, quam dissimilitudines ac discrepantiae, vocitanda sint.

Sunt igitur, qui, quum Caesar Solem Vulcanum Lunam, Tacitus Mercurium Herculem Martem Germanos coluisse tradiderit, illum in natura deorum, de qua non exploratis certis plurimarum gentium notionibus perdifficilis et perobscura fuerit quaestio, quodammodo nutasse putent. Aliis causa, cur Tacitus deos Germanorum non iisdem nominibus quibus Caesar nuncupaverit, ex eo repetenda esse videatur, quod ipsi Germani non stabilem certamque sed errantem et vagam de diis sententiam habuerint. Quam causam si quis afferat, videat, ne rem minus probabilem amplectatur. Tacitus quum auctoritate Caesaris, quem solum laudat summum rerum Germanicarum auctorem, nihil commotus alia deorum nomina tradiderit, dubitandum non est, quin natura eorum accuratius perspecta aliis nominibus utendum esse censuerit. Equidem autem deorum nomina, quae et Caesar et Tacitus Romana lingua interpretati sunt, varia esse dixerim, eandem fere naturam.

2. Tres deos habuisse Germanos dicit et Caesar et Tacitus. Isidem enim et Nerthum, quum non omnes Germani sed soli Suebi coluerint,[9]) singulae gentis tutelares deas fuisse constat. Nec multum moveor, quod unum maxime Semnones Tacitus tradidit coluisse »regnatorem omnium deum, cetera fuisse subiecta atque parentia.«[10]) Unum ac summum deum ut Semnones ita universos Germanos initio quidem coluisse tibi persuaseris, praesertim quum omnes indogermanici generis nationes summum numen uno eodemque vocabulo nuncupasse acceperis, ut qui apud Romanos deus, idem apud Graecos θεός, apud Persas dêvas, apud Germanos Zio sive Tyr fuerit.[11]) Sed unius dei vim, qua multis et variis modis naturam agi ac regi videbant, multiplicem maiores nostri constituerunt, ita ut rebus, quae a deo essent procreatae, dei nomine nuncupatis ex physica ratione magna flueret multitudo deorum. Ac pleraeque gentes pro uno deo primum tres, deinde duodecim, postremo vel plurimos constituerunt deos.

Jam inter gigantes, quibus Germani antiquissimis temporibus utebantur diis, tres erant fratres praepotentes Bylleystr Helblindi Loki. Naturalium igitur rerum vocabula sunt consecrata, quum Bylleystr latina interpretatione sit aer, Helblindi aqua, Loki ignis. Si cui mirum esse videatur, quod antiquae gentes, quum quattuor esse putarent elementa sive rerum principia, e quibus omnia constent, aera aquam ignem terram, non quattuor sed tres reposuerint in deos; quartum elementum putaverunt subesse tribus aliis et quasi campum esse datum, in quem suas vires exercerent, atque quum nisi conceperit terra non procreet, eam non parem eiusdemque generis deam tribus aliis adiunxerunt, sed uxorem esse summi dei arbitrati sunt.[12])

Bylleystr Helblindi Loki, qui et Kari Oegir Logi vocabantur, iidem fere sunt dii, qui a Graecis maxime colebantur Ζεύς Ποσειδῶν Ἥφαιστος, nec multum differunt ab Indorum diis Agni Indra Soma. Ac praeter Graecos Indos Germanos tripartitum numen habebant Persae Phoenices Aegyptii. Ex tribus autem unus maxime colebatur regnator omnium, ut ab Indis Indra, qui tria capita, a

---

[8]) Welter l. c. p. 22.
[9]) Tac. Germ. 9; 40.
[10]) Tac. Germ. 39.
[11]) Simrock Handb. d. deutschen Myth. Ed. 3. p. 150.
[12]) Simrock Myth. p. 152.

Graecis Argolidem incolentibus Ζεύς, qui tres oculos habere putabatur.[13]) Germani antiquissimis temporibus summum deum habebant alii Mare (Niördr) alii Ignem (Loki).

3. Caesar quum deorum numero Germanos duxisse putet Solem et Vulcanum et Lunam, plura quidem nomina sed unam tripartiti numinis naturam constituisse videatur. Etenim qui Sole Luna Vulcano utitur diis, unam ignis vim consecrat, sed quum triplicem ex igni capiat utilitatem, tripartitum numen statuit. Ignes, qui vel in terra accenduntur vel ex montium verticibus erumpunt, alit Vulcanus; coeli lumen diurnum est sol, nocturnum luna. Sed qui Solem et Lunam et Vulcanum pro diis habeant, non est quod eos unam ignis vim venerari putes. Solem enim cuncta sua luce illustrantem alii esse iudicant omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominetur; Lunam autem, cuius magna vis esse videatur in aestibus maritimis et accedentibus et recedentibus, habent pro deo marino.[14]) Qui in eam sententiam traducuntur, Caesarem eosdem deos statuisse sibi persuadebunt, quos supra nominaverimus Aerem (Bylleystr) Aquam (Helblindi) Ignem (Loki).

Tres illi maiores dii, quos Caesare teste Germani solos venerabantur, iisdem fere nominibus nuncupantur in legibus Canuti Danorum regis Sol Luna Ignis.[15]) Herculem vero quum praeter Solem et Lunam gentes, quae inferiorem Saxoniae partem incolebant, tertium deum habuisse rerum scriptores tradiderint,[16]) non alio numine sed alio nomine usi sunt.

4. Herculis nomen quum et Tacitus usurpet, in quaestionem venit, utrum deum significare voluerit an heroem. De heroe cogitandum esse censent, qui, quod Tacitus Germanos in proelia ituros Herculem primum omnium virorum fortium cecinisse tradit,[17]) ita interpretantur, ut Irminum vel alium quendam ducem fortissimum intellegant. Atque quum alio loco[18]) Hermunduros in proelium descendentes Herculis nulla mentione facta Marti ac Mercurio aciem sacravisse dicat, duos, non tres, maiores Germanorum deos Tacitus cognovisse videatur. Cave, ne quid inconsultius affirmes atque asseveres. Aliud saepe Tacitus in illo de Germanorum moribus atque institutis libello, aliud in annalium historiarumque libris rettulit, ita ut res relatae inter se discrepare videantur. Sunt igitur, qui Tacito obiciant, quod Herculem modo deum modo heroem fuisse dicat.[19]) Haec qui obiciunt, summum illum scriptorem tantam sibi conflasse putant vel temeritatis vel dementiae culpam, ut res diversissimas uno quasi ore pronuntiaverit. Si verum est, quod nemo dubitat, Germanorum singulas exstitisse nationes, quae suas proprias deorum opiniones retinerent, quid est, quod miremur, alias Martem ac Mercurium sacravisse, alias solum Martem,[20]) alias Herculem cecinisse! Ne Hermunduri Herculem deorum numero duxerint, tamen illum deum fuisse negari non potest; nisi forte existimamus, Batavos, qui Martem praecipuum deum coluerint, nec Mercurium nec Herculem habuisse deos. Quodsi non omnes semper maiores dii apud omnes nationes commemorantur, noli argumentari, unum vel alterum fuisse deum aut minorem aut nullum. Aliud est enim tacere, aliud negare.

Ut ad locum redeam maxime dubium, in omnibus quidem de Germania libelli codicibus praeter Mercurium et Martem legimus Herculem, sed duo codices (Pontani et Rom. Vatic. N. 1862) dei nomen ultimo loco addiderunt, duodeviginti in primum locum transposuerunt. Glossatorem igitur nomen addidisse censent Ritterus et Kritzius neque indicant, unde receperit, quum Hercules neque in illis ab excessu divi Augusti libris (XIII, 57, 3) Mercurio et Marti adiungatur et qui de Germa-

---

13) Pausan. II, 24. Cfr. Gerhard die 12 Götter Griechenlands p. 4.

14) Simrock l. c. p. 384.

15) Menzel Germ. I, 79.

16) Schaumann Gesch. d. niedersächs. Volks p. 115; Strack Wegweiser um Eilsen p. 48.

17) Tac. Germ. 3.

18) Tac. annal. XIII, 57, 3.

19) Cfr. Germ. 3; 9: ann. II, 12; XIII, 57.

20) Tac. hist. IV, 64, 1.

norum moribus libelli capite tertio commemoratur non deus sed heros fuisse videatur. Equidem ipse M. Hauptii acutissimi illius viri auctoritatem secutus, quum ante tres annos Taciti libellum ederem, Herculis nomen uncis includendum curavi. Quum vero novissimo tempore duce Simrockio, qui accurate et diligenter de natura deorum disputavit, non mediocrem in eo studio operam curamque consumpsissem, gravissimis argumentis adductus sum, ut Herculem praeter Mercurium et Martem certissimum iudicarem deum.

5. Germani quum antiquissimis temporibus tres gigantes praepotentes summis honoribus afficerent, postea tres deos maiores maxime venerabantur. Sed ut alia gigantum alia deorum erat vis ac natura, ita dii non eadem quae gigantes habebant nomina. Neque iisdem nominibus utebantur gentes, quae ex eadem stirpe ortae aut Scandinaviam aut Germaniam incolebant, quum, qui illorum maximi erant dii Odin Thor Tyr, Wuotan Donar Zio ab his nominarentur. Ac de deorum natura omnes fere antiquitatis gentes temporibus aliis alias suscepisse superstitiones, quis est qui nesciat. Nonne Graeci temporibus mutatis mutaverunt religiones? Quid mirum igitur, quod Germani prius physicam rationem secuti Bylleystr Helblindi Loki — Aerem Aquam Ignem — postea animi virtutes pluris aestimantes Odinum Thorum Tyrum — Mentem Prudentiam Fortitudinem — consecraverunt! Quaeritur iam, num Tacitus illos deos recte interpretatus sit Mercurium Herculem Martem.

a. De Mercurio primum audiamus quid alii rerum scriptores senserint. Apud Paullum Diaconum[21]) legimus haec: »Wodan, quem adiecta litera Gwodan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, et ab universis Germaniae gentibus ut deus adoratur.« Eandem sententiam amplectuntur Jonas Bobbiensis, Wilhelmus Malmesburiensis, alii rerum Germanicarum scriptores.[22]) Quibus testibus ut summam tribuas auctoritatem, maioris tamen momenti est, quod Wuotanus non solum forma ac figura sed etiam vi ac natura similis fuit Mercurii. Wuotani nomen ductum est a verbo watan, quod vel vadendi notionem habet vel significat animi impetu quendam ferri.[23]) Wuotanus igitur deus est, qui maria et terras permeat, qui sua mente ac ratione omnes res administrat et regit. Et Wuotanus et Mercurius dux erat viarum atque itinerum; huic erant alatae plantae, ille caligatus quam maxime citato gradu se proripiebat.[24]) Ut Graeci Mercurium Jovem Neptunum, ita Scandinavi Odinum Hoenirum Lokium coelum et terram permeasse cecinerunt.[25]) Interdum et Odinus et Mercurius nullo comite iter faciebat et apud mortales pernoctabat.[26]) Via, quam ingrediebatur Odinus sive Wuotanus, in coelo erat lactea, in terra dicebatur Irmini (Irminpfad) vel Helae (Helweg).[27]) Atque ut Mercurius sive Ἑρμῆς Ψυχοπομπός[28]) mortuis hominibus in orcum viam demonstrabat, ita Odinus lactea via fortes viros in gloriae templum, cui nomen erat Walhalla, ducebat.[29]) Nec minora vivis hominibus officia praestabant duces viarum, quum ad quaestus pecuniae mercaturaeque maximam vim haberent. Wuotanus cognomine Farmatyri et rei navali praeerat et mercatorum quaestui providebat.[30]) Atque omnium hominum vitae ac saluti consulere arbitrabantur Wuotanum Germani, Graeci et Romani Mercurium.[31]) Hic caduceum (ῥάβδον)

[21]) Hist. Langob. I, 9.
[22]) »Aiunt deo suo Wodano, quem Mercurium vocant alii, se velle litare.« Jon. Bobb. in vita s. Columb. ap. Mabillon. annal. Benedict. II, 26. Cfr. Grimm Myth. p. 109; 116; 120.
[23]) Grimm l. c. p. 120. Simrock l. c. p. 164.
[24]) Simrock l. c. p. 179.
[25]) Simrock l. c. p. 202.
[26]) Grimm l. c. p. 34.
[27]) Grimm l. c. p. 330. Kuhn westfäl. Sagen II, 85.
[28]) Lucian. dial. D. 24. Diod. Sic. 1, 96.
[29]) Simrock l. c. p. 204.
[30]) Simrock l. c. p. 166. Grimm l. c. p. 110.
[31]) Ἑρμῆς δώτωρ ἐάων. Hom. Od. VIII, 335.

ille virgam (wunsch, wunskiligerda) gestans bonos omnibus ornabat fortunis.[32]) Omnes denique artes invenisse dicebatur et Wuotanus et Mercurius; uterque »secreta literarum« i. e. scribendi et legendi artem homines docebat et alearum sive talorum lusum instituebat.[33]) Ex iis, quae supra exposui, satis intellegi posse videatur, Wuotano eandem fuisse figuram ac naturam quam Mercurio. Id unum addo, quod quem Romani Mercurii eundem Germani Wuotani diem festum habebant ac celebrabant.[34])

b. Mars dubitari non potest quin Germanorum deus fuerit Tyr, qui a Suebis nominabatur Zio s. Ziu, a Boiis Er (heru), a Saxonibus Saxneat s. Saxnot.[35]) Belli deus, qui proelia regebat ac moderabatur,[36]) cognomen habebat Vigagud. Nec mirum quod bellicosissimae Germanorum gentes eum maxime colebant. Hermunduri Marti ac Mercurio aciem sacraverunt,[37]) Tencteri, quum Batavis de Romanorum imperio excusso gratularentur, communibus diis et praecipuo deorum Marti grates egerunt.[38]) Quod Martem Tacitus dicit Germanos concessis animalibus placavisse, non improbat Jornandes, qui »Gothos semper asperrima deum placavisse cultura« prodit.[39]) Victori deo Germani antiquissimis temporibus hostes captos, post animalia ac maxime equos mactabant.[40]) Taciti sententiam amplectuntur Procopius et alii rerum scriptores.[41]) Dei signum erat gladius (eor), quem nudum, ut ait Ammianus Marcellinus, barbarico ritu humi fixum ut Martem regionum quas circumcircant praesulem Alani et Quadi verecundius colebant.[42]) — Fanum Martis sive Famars interpretantur Dispargum, Martis lacum Dinslaken,[43]) atque ut Mercurii dies est Wuotanstag, ita Martis dies Tysdagr, quem Alamanni vocant Zistag s. Ziestig (Dienstag),[44]) Bavari Ertag i. e. Eortag, Irtag s. Irtig.

c. Herculem deum venerabantur Indi et Persae, Syri et Phoenices, Graeci et Romani. Ac Phoenices quidem Movers[45]) certissimis confirmat argumentis Baal, cui cognomen fuerit Melcart, maximum coluisse deum. Baal autem erat Sol, ut Baalbeck urbs a Graecis nomen acciperet Ἡλιόπολιν. Nec tamen Ἡλίῳ sed Ἡρακλεῖ eadem vis ac natura fuisse videatur, quae Phoenicum illi deo. Hercules enim, qui duodecim illos labores subit, suo iure comparatur cum sole, qui per duodecim zodiaci signa movetur. Quod Graeci dei opinionem ut ita dicam ex physica ratione conceptam non retinuerint, non magni esse puto momenti, quum eos omnium fere deorum notiones constet mutasse. Soli Boeoti Herculem semper venerabantur ignis deum; ceteri Graeci atque imprimis Dorienses, quum Solem prius Ἥλιον posterius Apollinem vocarent, Herculem non deum habebant sed heroem, qui rebus praeclarissime gestis in Olympum evectus nobile omnium virtutum exemplum edidisset. Romani priusquam Graecorum de herois natura opiniones assumpserunt, deum colebant

---

[32]) Simrock l. c. p. 179. Hymn. in Herm. 527.
[33]) Grimm l. c. p. 136; 140; 958. Simrock l. c. p. 179; 211.
[34]) Mercurii dies angls. Wednesday, ndrdeutsch. Wodens-, Guodens-, Gunstag.
[35]) Grimm l. c. p. 175 sq. Simrock l. c. p. 264 sq. Mannhardt Götter der Deutschen p. 262 sq.
[36]) Simrock Edda p. 258. Myth. p. 265.
[37]) Tac. ann. XIII, 57, 3,
[38]) Tac. hist. IV, 64, 1.
[39]) Jornandes hist. Goth. 5.
[40]) Tac. anu. 1, 61.
[41]) Procop. b. Goth. II, 15. Widukind. Corb. ap. Pertz. Mon. V, 423; ann. Corb. V, 8.
[42]) Amm. Marc. XVII, 12; XXXI, 2, 23. Hastam, Martis signum, venerabantur antiqui Romani. Varr. ap. Clem. Alex. Protrept. 4, 46. Arnob. VI, 11, p. 196. Ambrosch Studien 1, 5 sq.
[43]) Rhein. Antiquar. 575.
[44]) Kuhn in Haupts Zeitschr. II, 231.
[45]) Phoen. 1, 430 sq.

Herculem atque eundem putabant, qui Sabina lingua vocabatur Sancus.[46]) Ut Hercules ita Sancus, quum multas terras victor peragraret, pessimum quemque opprimebat, bonos in pristinum statum restituebat, vim atque iniuriam propulsabat, leges atque institutiones servabat. Ceterum Sancus idem fuit deus, qui latina lingua vocabatur Dius Fidius, atque ut Sabini per Sancum ita Romani per Dium Fidium vel per Herculem iurabant. Herculem igitur Romani quum antiquissimis temporibus summum venerati sint deum, minime dubium videatur, quin Jovi parem posuerint. Ut taceam, Jovi cognomen fuisse Sanco,[47]) Hercules Romanus, qui a Samnitibus Hereclus sive Herclus vocabatur, exaequari potest Διὶ ἑρκείῳ.[48]) Hercei Jovis nomen, quod invenitur apud Paullum Diaconum, ducendum esse putant ab antiquo verbo hercendi[49]) ac quum »herctum« idem significet quod patrimonium,[50]) Herceus sive Herclus tutelaris deus est rei familiaris. Nec minus firmum argumentum, Herculi Romano eandem fuisse naturam quam Jovi, inde repetendum est, quod deus πλουτοδότης putabatur divitias largiri.[51]) Victoris uterque cognomine utebatur ac Herculis statuae in foro boario imperatores triumphum agentes paludamentum circumdabant.[52])

Victor ille deus fuisse videatur, quem Germani in proelia ituri primum omnium virorum fortium cecinisse dicuntur.[53]) Quid sit, quod fortissimum illum virum interpretari cogamur Irminum vel alium quendam heroem, equidem non intellego. Nam cui mirum esse debeat, deum vel a Germanis in proelia ituris invocatum esse vel — id quod maioris momenti putant interpretes — a Tacito nuncupatum primum omnium virorum fortium? Heroem quidem recte plerumque interpretantur fortem virum, sed nec fortissimum quemque virum intelligas necesse est heroem et cognomen illud aeque pertinere puto ad deum. Primus omnium virorum fortium id est vel fortissimus vel princeps fortium virorum recte dicitur deus, quem fortissimus quisque velut patrem ac patronum veneratur nec viribus ac virtute aequiparare potest. Nec dubium est, quin invictus ille deus fuerit Thor, quem Scandinavi dicebant âsabrâgr sive principem deorum.[54]) A Germanis vocabatur Donar.

Thor sive Donar erat fulminator, qui tempestate cum fragore tonitribusque coorta coelum et terram quatiebat, qui verno tempore »gigantibus hibernis« occisis maximo imbri agris reddebat fecunditatem. Atque quum fulmen esset rubrum, rubicundum os deo esse putabant, rutilum capillum barbam rutilam; rubra flamma ei erat sacra. Quem Scandinavi fulminatorem venerabantur, Germani habebaut pro ignis deo.[55]) Non multum igitur abesse videatur a natura Lokii, quem exaequari supra diximus Vulcano. Lokius autem societate quadam atque amicitia coniunctissimus erat Hoeniro sive Soli,[56]) ut Vulcanus Apollini, Hercules Romanus Jovi. Ac nominibus mutatis eaedem fere narruntur fabulae de Lokio et Thoro, de Vulcano et Hercule.

Et Lokio et Thoro eandem fere vim ac naturam inesse putabant, quam habere videbatur Persis Agni, Aegyptiis Phtah.[57]) Memphites quidem Phtah sive Ignem venerabantur omnium rerum

---

[46]) Varro l. L. V, 66. Fest. p. 229. Cfr. Hartung Rel. d. Römer II, 21 sq. Schwegler G. d. R. I, 364 sqq.

[47]) Aufrecht u. Kirchhoff Umbr. Sprachdenkm. II, 189.

[48]) Mommsen unterital. Dial. p. 262.

[49]) Hartung l. c. II, 49.

[50]) Serv. Aen. VIII, 642. Gell. n. A. I, 9, 12. Paul. D. p. 82; 101.

[51]) Cfr. Hor. sat. II, 6, 10 sq. Pers. sat. II, 11 sq.

[52]) Macrob. III, 6, 10. Serv. Aen. VIII, 363.

[53]) Tac. Germ. 3.

[54]) Edda, Skirnisför 33. Cfr. Simrock l. c. p. 226.

[55]) Simrock l. c. p. 240.

[56]) Weinhold, die Sagen von Loki in Haupts Zeitschr. VII, 25.

[57]) Weinhold l. c. p. 9.

principium nec minorem deum Graeci antiquissimis temporibus colebant Vulcanum, quem, quum in Achillis scuto coelum terram omnes denique res finxisset, omnia ipsum putabant creasse. Germani quoque Igni magnam inesse putabant vim gignendi atque efficiendi, ut alii Lokium alii Thorum si non omnem naturam certe rerum principia procreasse censerent.[58] Ubicunque ignibus generandis nutriendisque soli naturalis materia erat, et Vulcanus et Lokius sedem atque officinam constituisse videbatur. Nec solum in terris ac montibus, e quorum verticibus ignes erumpebant, deversabatur, sed etiam in profundo mari vires atque imperia exercebat. Atque ut Vulcanus monstra natantia finxisse putabatur, ita Lokius procreavit praeter lupum, qui dicebatur Fenrir, ingentem illam hydram (Midgardschlange), quae per oceani undas provoluta mediam terram quasi amplectebatur.[59]

Ut alias inter Lokium et Vulcanum similitudines omittam, id unum addere placet, quod Vulcani cum Scamandro certamen ab Homero depictum[60] imago quaedam esse videatur pugnae atrocissimae appropinquante terrarum exitio inter Lokium et Heimdallum, Ignem et Aquam, exortae.[61]

Reliquum est, ut fabulas proponam, quibus Thorus Lokii, Hercules Vulcani quasi partes suscepisse narratur. Fulminatorem a Scandinavis dictum esse Lokium, a Germanis Donarum iam supra commemoravimus. Nec dubium est, quin Vulcanus, cuius nomen deducendum esse putant a verbo fulgendi, ut sit fulgurator,[62] eandem habuerit naturam. Atque Hercules non heros Graecus sed deus Romanus, cui magna fuerit similitudo cum Jove fulgente, quid mirum est, si exaequatur Donaro! Tacitum autem, quum Herculem vocaverit Donarum, non quae ei cum Jove fuerint similitudines reputasse verisimile est, sed de rebus cogitasse et ab Hercule et a Lokio sive Thoro praeclare gestis.

Non magni quidem momenti ac ponderis esse puto, quod et Lokius et Hercules habitus sit androgynos.[63] Notabilius esse videatur, quod Thorus modo ut Vulcanus malleum (miöllnir) modo ut Hercules clavam gessisse dicatur.[64] Atque ut Lokius contra Heimdallum Vulcanus cum Scamandro certasse narrabatur, ita Hercules lernaeam hydram Thorus anguem marinum devicit.[65] Maximam autem gloriam sibi comparavit Hercules, quum in orcum descenderet ac Cerberum duceret. Nec minus audax Thorus traiecto mari, quod deorum sedes (Asenheim) a gigantum arce (Jötunheim) dividebat, ad Utgarthilocum tartari regem venisse et acerrima certamina iniisse fertur.[66] Quam fabulam Simrockius ita interpretatur, ut Thorum fulminatorem hiemalium gigantum arce expugnata id est hiemis vi fracta aestatem reduxisse putet.[67]

Idem deus, qui hiemem acrem grata veris vice solvit, populis ad cultum et humanitatem deductis civitates bene instituit. Et erat Thorus Germanorum ut Melcart-Hercules Phoenicum colonorum patronus. Uterque vel remotissimas regiones adiisse ac plurimis locis vestigia reliquisse dicebatur. Ad fretum Gaditanum Herculis fuisse columnas, quis est qui nesciat? Quae vero aliae inveniebantur in Germaniae septentrionalis sinu, quem num deus adierit Tacitus ipse in dubitationem

---

58) Weinhold l. c. p. 13.
59) Weinhold l. c. p. 18. Simrock l. c. p. 97.
60) Jl. XXI, 342—385.
61) Weinhold l. c. p. 47. Simrock l. c. p. 121.
62) Serv. Aen. I, 46. Cfr. Cic. n. d. III, 22, 55.
63) Weinhold l. c. p. 11.
64) Weinhold l. c. p. 14. Simrock l. c. p. 232.
65) Simrock l. c. p. 119; 255 sq.
66) Simrock l. c. p. 246 sq. Weinhold l. c. p. 35 sq.
67) Simrock l. c. p. 260 sq.

vocat,[68]) non Herculis erant columnae sed Thori.[69]) Germani enim quum non fingerent deorum simulacra, signa habebant Wuotani hastam Tyri gladium Thori vel malleum vel columnam. Nec dubium esse videatur, quin Thori antiquissimis temporibus fuerint columnae, quibus postea nomina indita sunt Rolandi Aethelstani Hoyeri Mansfeldiensis. Rolandi columna invenitur et aliis locis et Eresburgi, quod castellum in ducatu Westfaliae nunc dicitur Marsberg s. Stadtberge. Irmansûli, quam interpretantur universalem columnam, utrum Irmino an Thoro sacrata fuerit, equidem non diiudicaverim; certe quidem Saxones victoria ex Thuringis reportata Irmino sacra fecisse traduntur ac statuam posuisse »effigie columnarum imitantes Herculem«.[70])

Nec columnas solum deo erigebant, sed etiam aras consecrabant. Ac quae in lapicidinis occidentalis potissimum Germaniae inveniebantur saxa votiva vel altaria Herculis Saxani, dubium esse non potest, quin consecrata fuerint Thoro. Fulminatorem enim, qui vel durissima saxa sine labore diffindat, a lapicidis summis honoribus affectum esse nemo negabit. Ac quum Saxanus ille Hercules non nisi in Germania coleretur, saxa illa ab ipsis Germanis consecrata esse recte putavit Simrockius.[71]) Non sui igitur Herculis cultum Romani milites in Germaniam transtulerunt, sed quem Germani venerabantur lapidarium Thorum, Saxanum Herculem sua lingua interpretati sunt.— In silvis Germani plerumque deorum signa recondebant, sacra faciebant. Atque ut Nerthi castum nemus erat in insula Oceani,[72]) ita trans Visurgim silva Heracli i. e. Thoro sacra.[73])

Haec omnia qui consideraverit, facile intelleget, Herculem a Tacito in maiorum numero deorum recte esse repositum, nec dubitare potest, quin Thorum significare voluerit. Thorus autem quum esset fulminator ac deorum princeps, qui âsabrâgr vocabatur, est ubi exaequetur Jovi. Jovis igitur diem recte interpretamur Donarstag (Donnerstag), Jovis montem Donarsberg (Donnersberg), Jovis robur in agro Geismariensi Donarseiche, Jovis barbam Donarsbart (Donnerkraut, Sempervivum tectorum).

6. De deorum apud Germanos cultu si iam quaerimus quid differant Caesar et Tacitus, aut me amor suscepti negotii fallit aut nomina quidem recte puto varia, similem vim atque naturam. Tres uterque maiores fuisse dicit deos, alter Solem Lunam Vulcanum, alter Mercurium Martem Herculem. Herculi cum Vulcano similitudinem quandam naturae fuisse facile concedimus nec magnum discrimen intercedere videatur inter Solem et Mercurium et Odinum sive Wuotanum.[74]) Luna autem qua ratione quo iure comparari possit Marti, quaestio est perobscura ac difficiles habet explicatus. Planckius,[75]) qui Herculem non deum fuisse putat, Martem componit cum Vulcano, Lunam autem cum Iside. Et Isidi quidem eandem fuisse dicit naturam, quam Demeter magna illa terrae mater habuerit; terram autem matrem quod Tacitus ipse arbitratur Nerthum,[76]) Planckius facile adducitur, ut et Nerthum et Isidem simili quadam natura usam esse existimet. Liburnam enim, quod Isidis erat signum, comparandam esse censet cum Nerthi vehiculo nec dubitat, quin

---

68) Germ. 34.
69) Grimm M. p. 107; 306. Simrock l. c. p. 245.
70) Widukind l. c. I, 12. Cfr. Simrock l. c. p. 262.
71) Simrock l. c. p. 239.—Herculem parem fuisse supra demonstravimus Jovi. Ac saxum, Jovis signum, antiqui Romani venerabantur (Serv. Aen. VIII, 641) et per Jovem Lapidem iurabant. Cic. ad fam. VII, 12. Gell. I, 21, 4. Polyb. III, 25. Plut. Sull. 10. Paul. Diac. p. 92; 115.
72) Tac. Germ. 40.
73) Tac. ann. II, 12. Cfr. Simrock l. c. p. 231.
74) Sol a vate, qui Eddam composuit, oculus vocatur Odini. Grimm M. p. 665.
75) Beitr. zur Erklärung der Tacit. Germ. im Progr. d. Gymn. zu Heilbronn (1867) p. 16.
76) Germ. 40.

navis illa fuerit lunata. Ex signorum igitur similitudine colligit similem Isidis Nerthi Lunae naturam. Nec vero satis constat, Nerthum a Tacito recte appellatam esse Terram matrem, nec Planckius certis argumentis confirmasse videatur, Isidem et Nerthum unam eandemque deam fuisse. Alii deam, cui Tacitus nomen indidit Isidi, a Germanis appellatam esse putant Isam,[77]) Nerthum autem Ertham. Vides, quam variae quam discrepantes sententiae sint interpretum. Quas accuratius perscrutari, ut aut comprobentur aut refellantur, frigidae cuiusdam et iniquae diligentiae est, neque ita quidquam aliud efficietur, nisi ut fateamur, Lunam nec Nertho nec Isidi comparari posse.[78]) Nec facilius tibi persuadeas, unum idemque fuisse numen, quod interpretatus sit Caesar Lunam Tacitus Martem.

Id quidem certum esse videatur, Caesarem aliam interpretandi rationem secutum esse, quam Tacitum, quum ille sensu hic mente deorum naturam percipiendam putet. Caesar enim quia Germanos dicit deorum numero eos solos ducere, quos cernant, physicam quandam rationem secutus omnem rem divinam in natura sitam esse censet; Tacitus autem, qui maiores nostros, quum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine coelestium arbitrati sint, deorum nominibus appellasse putat secretum illud quod sola reverentia viderint, philosophorum quorundam rationem sequitur, quibus placuit, in visis nihil extrinsecus menti obici, sed quae obiecta putantur visa, sola cogitatione contineri.[79]) Recte Haasius: »Deos tales quidem, quales fabulae tradebant, nullos esse statuit Tacitus; quare ut personas quidem deorum certas et finitas non esse credidit, ita divinum tamen esse aliquid non negat, cuius vis etiam in humanis rebus cernatur; neque multum abhorruisse eum a Judaeorum persuasione crediderim, quos praedicat mente sola unumque numen intellegere, et profanos habere eos, qui deorum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant, denique summum illud et aeternum neque imitabile esse neque interiturum (hist. V, 5); similia enim etiam de Germanis tradit, quos ait deorum nominibus appellare secretum illud, quod sola reverentia vident; ut appareat ipsa deorum nomina inania esse videri et ad falsas deorum species pertinere, verum autem unum illud secretum esse quod sola mente ac reverentia intellegatur. Quae sententia quamquam prope accedere videri possit ad nostrum illud: πνεῦμα ὁ θεός, vehementer tamen a christiana doctrina discrepat; nam neque divinum illud numen personam esse neque omnino esse id alibi statuit nisi in mente hominum.» —[80])

---

[77]) Mannhardt l. c. p. 302. Cfr. Münscher Progr. Gymn. Marburg (1864) p. 8.

[78]) Cfr. Simrock l. c. p. 309 et 357.

[79]) Waitz D. V. G. I, 46, 1. Secretum illud nihil aliud esse putat quam lucos ac nemora. Sed ut »luci ac nemora» respondent diis, quos non cohibent parietibus, ita »secretum illud, quod sola reverentia vident,« opponitur simulacris in humani oris speciem assimulatis.

[80]) Haase de C. Tac. v. ing. script. comm. p. XXVII sq. Eandem fere sententiam amplectitur Planckius l. c. p. 18: »Schwierig ist es, Caesars Worte, nur die Götter gelten in Deutschland, quos cernunt, mit dem Schluss unseres Kapitels zu reimen und das quod sola reverentia vident scheint fast geflissentlich jenem Urtheil des Caesar entgegengesetzt. Caesar spricht zwar auch nicht von Götterbildern, aber Tacitus deutet unwidersprechlich klar an, dass die Deutschen eine geistige Vorstellung von geistigen Göttern haben. Das unendliche Wesen sei ein allumfassendes, das man nicht in endlicher Gestalt denken, nicht in menschlicher Form abbilden, das man nur in seinem geheimnissvollen Walten durch die Andacht ahnen und verstehen lerne. So hoch das klingt, so kann man doch die Worte: deorum nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident kaum anders verstehen; denn sola reverentia wird doch bloss bedeuten können: ohne sonstige Vermittlung durch Priester und durch Bilder; es ist das Gefühl des Unendlichen, des Allerhabenen, was der deutschen Religion zum Grunde liegt, und dieses Unendliche wird nicht wie bei den Griechen und Römern individuell dargestellt und gedacht, sondern es ist eigentlich eine unpersönliche Gottheit; es ist das

Quid igitur? Quo modo cogitari potest, rudiorem Germanorum gentem eo iam altioris intellegentiae progressam esse, ut persuasum haberet, cultum divinum esse positum non in rebus externis sed in candidiore observantia legis rationi impressae deique auctoritate tamquam mystice promulgatae? Haec allegorica ac symbolica quaedam sapientia Germanis non inerat, sed Tacito ad sua philosophiae praecepta ascendere placuit, ut, quum Germanos nec templis magnificentissimis exstructis nec simulacris politissima arte perfectis omnia, quae ad deorum cultum pertinent, quam piissime ac sanctissime tractasse diceret, Romanorum, qui quidem iam corruptis moribus divini numinis sensum ac cogitationem exuerant, vellicaret pietatem simulatam. Ceterum etiam Plutarchum de cultu divino apud antiquos Romanos disserentem eodem fere sophismate usum esse scimus. Ab eo enim relatum legimus, per primos centum septuaginta annos Romanos nullam habuisse dei imaginem nec pictam nec fictam, nefas putantes augustiora exprimere humilioribus nec concipi aliter posse deum quam mente.[81]) Idem fere rettulit Herodotus de Persis et de Pelasgis[82]) atque etiam Finni et Tschudi numen quoddam corpore carens et ab omni concretione mortali segregatum coluisse dicuntur.[83])

Et Caesar quidem Germanos naturalium rerum vocabula consecrasse putat; Tacitus autem maiores nostros, quorum ingenuum animum ac mentem liberalem maximis effert laudibus, non physica ratione constituisse arbitratur naturam deorum, sed mente ac cogitatione numen finxisse divinum. Nec tamen illorum sententiae adeo discrepant, ut inter se comparari non possint. Quos Caesar deos habuit Solem Lunam Vulcanum, tria elementa sive rerum principia esse demonstravimus Aerem Aquam Ignem; quae quidem elementa Graeca interpratione vocantur Ζεύς Ποσειδῶν Ἥφαιστος, Germana Bylleystr Helblindi Loki vel Kari Oegir Logi vel Odin Hoenir Loki. Ac Germani quum antiquissimis temporibus tres illos inter se coniunctos gigantes venerarentur, postea tres summos deos, quorum vim ac naturam non tam sensu quam mente percipiebant, coluisse putantur. A Scandinavis nominabantur Odin Thor Tyr, a Germanis Wuotan Donar Zio sive Woden Thunar Saxnot, quae quidem nomina inveniuntur in abrenuntiandi formula Saxonibus usitata.[84]) Quid, quum Germani ipsi tres habuerint summos deos, nonne mirum esse videatur, quod plurimi interpretes et Caesarem et Tacitum praeter duos deos de una dea cogitasse dicant? Nos nec Lunam cum Iside vel Nertho comparandam nec Herculis nomen, quippe qui non deus sit, delendum esse censemus. Rectius putamus, Tacitum tres illos Germanorum deos, quum nomina a Caesare prolata non receperit, natura acrius perspecta verius interpretatum esse Mercurium Martem Herculem.

In hunc igitur modum componimus Romanorum Graecorum Germanorum numina eiusdem vis ac naturae:

Unendliche, Allwaltende als geistige Macht, dessen Nähe sie (Germani) besonders im Rauschen der Bäume und Wälder (Odinwald), im Hall des Donners und der Schlachten ahnen, also eine Art pantheistisches Naturgefühl, das zwar einzelne Haupterscheinungen des Lebens unter den Schutz bestimmter Götter stellt und für diese auch Namen findet, doch nicht zu plastisch concreter Gestalt vorschreitet, sondern sich mit Symbolen begnügt. . . . Man hat gesagt, diese Vorstellung sei viel zu geistig, zu modern und Tacitus habe wohl seine eigene Ansicht in diesen Worten niedergelegt, vielleicht auch indirekt seinem Widerwillen gegen die römische Vielgötterei hier einen Ausdruck leihen wollen. . . Dagegen bemerkt Grimm (Myth. Vorr. S. 63), »arbitrantur« und »appellant« beruhe auf Erkundigung und Tacitus mache hier nicht leere Phrasen.«

81) Plutarchi v. Numae c. 8.

82) Herodot. I, 131; II, 52.

83) Jakowiky progr. Gymn. Posn. (1865) p. 10.

84) Pertz Mon. III, 19.

Sol	Luna	Vulcanus
Aer	Aqua	Ignis
Ζεύς	Ποσειδῶν	Ἥφαιστος
Bylleystr	Helblindi	Loki
Kari	Oegir	Logi
Odin	Hoenir	Loki
Odin	Tyr	Thor
Wuotan	Zio	Donar
Woden	Saxnot	Thunar
Mercurius	Mars	Hercules.

